

XXXII.

# PROGRAMMA,

quo ad

## ORATIONES

IN

LAUDEM CIVITATIS WEISSENBURGI  
NORICORUM,

ac

De Officio eorum, qui, è præsentissimis belli  
periculis erepti, Vicinis illis admodum  
pressis, Pace fruuntur;

*Ad d. 5. Calend. Maji*

IN LYCEO WEISSENBURGICO  
publice habendas

*Animos pronos, auresque benevolas sibi &  
peroraturis expetit*


R E C T O R.



*Schuvobachii,*

Literis MAURITII HAGENII

*de fossa Carolina  
Cont. Chris Fippeli dess. de Danubii et Rheni coniunctione  
a Carolo m. tentata.*



LECTORI BENEVOLO  
M. JOH. ALEXANDER DOEDERLINVS

S. P. D.

AD BIBL.  
UNIVERS.  
MONAC.



Nter Conatus Mortalium magnos, ut plurimum ta-  
men irritos, haud ultimum sortiuntur locum tentatæ Isth-  
morum Perfossiones & Fluminum derivationes. Χαλεπὸν  
ἀνθρώπιον τὰ θεῖα βιάζεσθαι: difficile est homini divinitus attributam  
rebus naturam arte superare, inquit Pausanias de irrita Per-  
fossione Isthmi Corinthiaci agens, Corinth. cap. I. Conf.  
Cellarii Geograph. Ant. Libr. II. Cap. XIII. p. 1170. Deus enim, teste Hiobo,  
Cap. XXXVIII. v. 8. & seqq. Concluserit ostiis mare, & circumdedit illud termi-  
nis suis, & posuit vectem & ostia, & dixit: וְיָבֹא וְלֹא תוֹסִיף וְיָרֵץ וְשָׁמַיִם וְשָׁמַיִם  
usque huc  
venies, & non procedes amplius. Unde & Apollo Delphicus, memorante  
Herodoto, Libr. I. Historiæ suæ, Cnidii Isthmum Peloponneti, quæ angu-  
stissimo spatio, nempe quinque Stadiorum, spectabat continentem, quo in-  
sulam facerent, perfodere aggressis, respondit:

Ἰθμὸν δὲ μὴ πυργᾶτε, μὴδ' ἀρύσατε.  
Zeus γὰρ κ' ἔθηκε νῆσον, εἰ κ' ἐβέλετο.

i. e.

Neque cingite Isthmum mœnibus, neque fodite:  
Nam si Jovi id visum, locasset in salo.

Conf. Erasmus in Adagiis, p. m. 920. 921. Sed quid non audet Naturæ imi-  
tatrix Ars? avulsit illa, ceu ajunt, Naturæ Domino & Arbitro disponente,  
Italiæ Siciliam, Syriæ Cyprum, Bœotia Eubœam, docuitque suo exemplo  
Homines ad usum commerciorum, sublatis obstaculorum molibus com-  
mittere inter se maria. Hoc modo ab Hercule Fretum Gaditanum dicitur  
perfossum. Vid. Autor Descriptionis totius orbis Leod. ed. A. 1643. & qui eum  
allegat, J. C. Becmanni Historiam orbis terrarum cap. III. Sect. I. §. XXI. Isto  
consilio paulo ante memorati Cnidii, eosque seqvuti Rex Demetrius, Dicta-  
tor Cæsar, Princeps Cajus Domitius Nero, & quem Mich. Neander descript.  
Orb. Terræ P. I. illis accenset, Herodes Atticus, prædictum Isthmum Co-  
rinthiacum perfodere, & ex Peloponneso Insulam facere, ne ex Mari Jonio  
in Ægæum proficiscentibus periculossimum Maleæ promontorium præ-  
ternavigare opus esset, moliti sunt, sed conatu irritato. Qua de re memorat  
Pausanias l. c. inquiens: ὅς δὲ ἐπεχείρησε Πελοπόννησον ἐργάσασθαι νῆσον, ἀρῶν ἀπέλειπε διο-  
ρύσων Ἰθμόν. καὶ ὅθεν μὲν διορύσσειν ἤρξαντο, δὴλόν ἐστιν, ἐς δὲ τὰ πετρῶδες ἢ προεχώρησαν  
ἀρχήν. Μένει δὲ ὡς ἐπεφύκει καὶ νῦν ἡπειρος ἂν. i. e. Quicumque Peloponnesum Insulam  
facere conatus est, morte oppressus opus imperfectum reliquit. Qua sane Isthmi  
fodi cœptus fuit, operis extant vestigia: saxosa ejus pars omnino tentata fuit:  
ideo situs adhuc sui naturam servat. Eodem animo, sed & successu eodem  
Isthmum, qui dirimit Euxinum & Caspium mare, aggressus est Nicanor  
Seleucus, (si magnus ille interjacens terræ tractus Isthmus dicendus est,) ceu refert laudatus Erasmus l. c. & ex eo Barth. Keckermannus Dispp. Practic.  
XXXI. p. m. 607. Ita si non omnino frustranei, ex usu tamen, eoque magno  
& perpetuo, non erant labores Ægyptiorum, cum ante bellum Trojanum,  
tum post illud, nec non multorum Sultanorum Turcicorum, qui navigatio-  
nis gratia Mare Rubrum Mediterraneo jungere conati sunt: quicquid etiam  
Huertius Tr. de Navig. Salomon. C. I. ubi Israëlitarum & Phœnicum classes per





per canalem è Mari Rubro, aut per fossi Isthmi, aut ductæ ex Nilo in sinum Arabicum fossæ beneficio, in Ægyptum trajecisse contendit, in contrarium afferat. Conf. TENZELIUS Coll. Menstr. A. 1698. p. 765. 766. Unde proverbium: *Isthmum perfodere*, veluti de laboribus & conatibus ingentibus, sed vanis & irritis ortum suum habere cœpit. Quam in rem qui plura legere cupit, evolvat RICHTERI Axiom. Pol. n. 306. Qui fluminum derivationes tentarunt, multas, sæpissime etiam non superandas reppererunt difficultates. Lucius Verus, qui imperante Nerone, Exercitibus in Gallia præfuit, aquas Araris Mosellæ committere molitus est, ut sublatis itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque littora fierent: at successu res caruit. Eadem fata experti sunt, qui de ducenda fossa inter *Nombre de dios* & Panamam in America, ut ex sinu Mexicano in mare pacificum navigari posset, pateretque inter duas Americas liber & tutus Hispanis in Indias Orientales itus ac reditus, plus simplici vice egerunt. De *Fossa Camouz*, ducta inter Tanaim & Volgam pro conjungendo Mari Caspio cum Palude Mœoti, deque ejus negotii difficultatibus consulatur *Furnerius* Libr. XII. c. VII. & qui hunc commendat & allegat, *Becmannus* l. c. §. XIII. Quid ii præstiterint, qui sagaci industria rationem jungendi Ararim cum Ligeri, ut ex Masilia, portibusque vicinis in Oceanum naves deferri possent, se invenisse, gavisifuerant, tempus docuit. Vid. *Autor descript. orb.* ed. Leodii A. 1643. De Fossa Regia in Occitania, quam jam olim Galliarum Rex Franciscus I. meditatus est, ut ne opus esset iis, qui ex portibus Gallia Mediterraneo Mari aditis in Oceanum Aquitanicum, aut Gallicum, aut Germanicum proficisci vellent, Hispaniam omnem circumnavigare, & præter itinerum moras, pericula, impensas, alieni quoque Regis Imperium experiri; scribit *Cellarius* Geogr. nostri temporis Cap. III. p. 42. sequentem in modum: *Ad Occitaniam Fossa quoque Regia pertinet, le Canal de Languedoc, Ludovici XIV. opus, qua ex Oceano in Mediterraneum mare navigetur. Est autem ex Garumna navigabilis amne in Atacem, hodie l'Aude, sive potius ad Setium usque promontorium, (le Cap de Sete) quod inter Narbonem & Montem Pessulanum est, deducta; & juxta Port Louïs, Portum Ludovici, infra Volcarum Stagna mari conjungitur. Sed operosior fuit hæc fossa, quam nunc utilis est, ruinis variis impedita.* De novo conjugio Viadri & Sprehæ, auspicio FRIDERICI WILHELMI Magni, Electoris Brandenburgici pro communione Maris Balthici & Oceani Germanici propiori instituto, quid habendum, numque id solum non repugnante natura initum & perpetuo usui futurum sit, alii dijudicent. De prædicat illud laudatus *Cellarius* l. c. p. 287. Sed quid opus est, ut alienis & toto terrarum orbe conquisitis hujus rei exemplis inhæreamus, cum, quod indies oculis lustremus, in ipsa Patria habeamus? Caroli videlicet Magni, Regis Francorum, & primi è Germanis Romanorum Imperatoris Fossam non incelebrem, qua in Agris nostris Weissenburgensibus Rhenum & Danubium conjungere ausu magno sago togaque Heros incomparabilis constituit. Cum enim ille inter summos orbis terrarum Monarchas summus & felicissimus, occupata armis Italia & Urbe Roma, Longobardorumque Regno destructo, non tantum Imperium & Occidentis Regna per annos amplius trecentos à diversis gentibus tentata & horribiliter lacerata, primus restituisset, legibusque constituisset, nec non Germania, Gallia & Italia conjunctis, quò hostibus ex omni parte ad resistendum par esset, Saracenos, Saxones, Sclavos, Bohemos, Hunnos & Avaros fortiter debellasset; sed &, quod multo his omnibus majus, & tanto Principe dignissimum est, Ecclesiis passim &

4  
 Scholis constitutis plurimis, Christianam Religionem longe lateque, ad exemplum magni Parentis Pipini disseminasset : omnes quoque curas & nervos, quod ajunt, eo intendit, ut, quoad ejus fieri posset, & otium à bellis permitteret, ubi vis bonum publicum & salus subditorum promoveretur, & cum commercio mutuo, tum etiam itinerum & viarum opportunitati consulere-  
 retur. Et quia noverat, experientia fretus, Heros prudentissimus, beneficio Navigationum laboribus & sumptibus haud adeo multis importanda & exportanda alioversum deferri posse, & ideo maribus & fluminibus navigabilibus aditas urbes & terras aliis feliciores & ditiores plerumque reddi; Germaniam autem plurima sui parte hoc naturæ beneficio destitutam esse, arte & labore, quod illa negasse visa est, compensare studuit. Cum verò Germaniæ Fluminum maxima sint & præ ceteris inclyta Danubius & Rhenus, illeque annibus sexaginta, quorum medius ferme numerus navigabilis est, receptis, ortum petat, & quadringenta circiter Millenaria Germanica emensus in Pontum Euxinum evolvatur; hic vero inter Alpes natus, aliisque etiam navigabilibus fluviis auctus, Occidentem versus excurrat, & in Oceanum Germanicum deferatur: hisce duobus, si tibi fieri posset, fossa aut canali aliquo junctis, plurimas illius, (Germaniæ puta) provincias navigiis permeabiles fore credidit. Talia secum agitantis fortissimo æque ac prudentissimo Regi, & illo forte tempore Ratisbonæ in Bavaria, (ubi expeditione contra Hunnos & Avaros feliciter peracta, Synodum agebat, & de Filio Pipino ex Concubina nato, contra Patrem novas res molito, pœnas sumebat,) commoranti quidam (sunt verba *Aventini Annal. Bojor. p. m. 337.*) asseverabant, fieri posse, ut à Danubio in Rhenum navigaretur, si inter Redonessum, seu Rednitium (vulgo *Rednitz*) qui Regnesum, (vulgo *Regnitz*) & agros Weissenburgicos alluentem Razam (vulgo *Obere Rezat*) & prope fontes *Riedbach*) recipit, & Alemannum (quem hodie Altmühlam, seu Almonum & vernacule *Altmühl* appellant) fluvium Nariscorum, ubi uligo palustris erat, fossa duceretur, quæ navium capax foret, in quam palustres aquæ subsidentes utrinque flumini committerentur. Nam Redonessus Bambergæ Mæno, hicque Rheno Moguntiæ miscetur, Alemannus vero juxta oppidum Kelheim in Danubium profuit. Fit igitur, approbato consilio, jussu Regis, à maximo Bojorum Francorum & Suevorum numero Fossalata trecentos pedes, longa millia passuum duo. Totum Autumni tempus in tam præclarum opus utileque absuntum est, quod à pago Graben Weissenburgum versus tendebat. Quibus non ineleganter in Hodæporico suo G. Fabricius succinit,

*Proxima (inquiens) nos via fert Alemannum ad flumen & urbem  
 Noriciam, nivea cognomen ab arce trahentem,  
 Ad quam Pipini quondam fortissima proles  
 Ducebat fluvium hunc, ut, cum superaret & illos,  
 Qui fuerant mediæ, Rhenum conjungeret Istro :  
 Grande opus, & cujus tamen hic vestigia servat.*

Autor Descriptionis totius orbis Leodii ed: cujus jam ante mentionem fecimus, l. c. eâ, quam supra memoravimus, specialiore, quamque hactenus nunquam me legisse memini, instituti Carolini rationem profert, cum inquit : *Carolus Magnus Francorum Rex, & primus Imp. cum expeditionem meditaretur in Græcos, fossam ducere instituit ab Alemone in Radantiam, (legitur & Radentiam) ut commeabilia inter se efficeret Oceani & Ponti littora, possetque exerci-*



5

exercitus suos & Castrensia impedimenta ex Oceano, Mosa & Mosella in Rhenum, inde in Mœnum amnem, postea in Regnesum & Radentiam, inque Alemonem & Danubium deducere atque ita secundo annee usque in Pontum Euxinum deferre. In designando tempore, quo grande hoc opus multorum hominum milium, ut *Münsterus* Cosmographiæ suæ Libr. m. c. 384. refert, ministerio occœptum & protrusum fuit, conveniunt Auctores; & plerique omnes in A. C. 893. conspirant. Conf. *Calvisius* Op. Chronol. p. 739. Quibus etiam vetus quoddam Chronicon Weissenbürgense adstipulatur, quod & hoc (qua fide sane nescio, non invito tamen *Auctore* Annalium Francorum, qui tradit: *Regem cum omni suo comitatu, audito consilio, confestim Weissenbürgum venisse, congregataque hominum multitudine, totum autumnitempus in eo opere consumpsisse*.) superaddit: Carolum nostrum tum temporis sex menses Weissenbürgi hæsisse, & eodem semestri ex æde S. Nicolai in Monte Wildsburgico à Parente Pipino A. 764. condita, Cœnobium Ord. Benedict. reddidisse; cum contra *Aventinus* noster Annal. Bojor. Edit. vern. p. m. 283. b. memoriæ prodit, Carolum Ratisbonæ commorantem opus imperasse, & tota æstate (in Latina editione *Autumno* habetur) in perficienda Fossa consumpta, spectatum demum Weissenbürgum ascendisse, postquam octennium fere in Bavaria egisset, & Ratisbonæ una cum Gynæcéo suo tribusque Filiis Carolo Pipino & Ludovico sedem fixisset, indeque, Albâ puta nostrâ, ad Synodum magnam Francofurtum, navigiis ex Raza & Radentia in Redonessum, indeque in Mœnum cum universa sua Familia, coactis hominibus, qui navigia traherent, devectum, concessisse. || Locum quod attinet, ubi derivatio Alemanni in Razam tentata fuerit, ex his, quæ ex *Aventino* memoravimus, satis clare patet. *Kekermannus* Dispp. Pract. XXXI. p. m. 608. ex *Camerario* Cent. I. oper. subc. c. 81. circa Weissenbürgium pagum conjunctionem Danubii & Rheni fieri debuisse refert. Ita plerique omnes, qui hac de re commentati sunt ad Weissenbürgum Fossam fuisse factam volunt, à viciniæ loco potiori & non in celebri designationem petentes. Distat autem Weissenbürgum mediocre Milliare Germanicum propemodum, à Ripis Alemanni in Euronoti amplexus, Orientem versus, decurrentis. Inde ab istis puta ripis sexcentorum circiter passuum spatio, ascendimus Septentrionem versus ad pagum Graben/ agris nonnihil clivibus impositum, atque ab ipsa ista, de qua agimus Fossa, nomen suum sortitum. Et ad istum hunc pagum, qua potissimum Eurum respicit, improbi laboris vestigia præprimis apparent, cum clivuli ibidem dorsum maxime etiam conspicuum videatur: heicque loci Fossa in Longitudine 2000. passuum & in Latitudine 300. pedum, qua Alemanni & Razæ aquæ coirent, facta fuisse perhibetur. Desinit autem ista Fossa, in subjacentibus pratis uliginosis, Razam rivum, quem superiorem dicunt, è pago Dettenheim/ semihorium à Filia Graben/ Orientem versus, distante & fontibus suis prolabentem excipientibus, & à Weissenbürgo, quò pauca hinc inde tamen confluentes aquæ, tendunt, horæ circiter spatio sitis. Inde canit Poëta *Nic. Reusnerus* in Epigram.

*Grande opus & magnum testatur Fossa laborem,  
Albam qua castrum nunc Alemanne subis.*

Vid. *Knipschildius* Tr. de Civit. Imper. Juribus p. 1023. & quos ille p. 1014. allegat, *Annales Francorum*. Nullum autem est dubium, quin aquæ Alemanni, dummodo clivulum illum ad dictum pagum Graben versus Albam nostram supe-

superassent, inque uliginosa illa & palustria loca pratensia, quæ inter arva Weissenburgensia, Ementsheimensia, &c. interjacent, devenissent; cum illis, quæ è dicto pago Dettenheim profluunt, ac in uligine ista nascuntur, & undique auctæ prope urbem nostram decurrunt, coissent, & amice sese commiscuissent. // Sed quomodo quæso, dicat, qui locorum memoratorum peritus est, fieri potuisset, ut in amplissima fossa & canali junctæ aquæ, navigantibus suffecissent, cum sane ex *αιεροψία* constet, Razam loco isto, ubi conjunctio fieri debuerat, undas admodum paucas volvere, ipsumque Alemannum navigiis excipiendis in istis finibus minime sufficere. Ut de Raza, rivo admodum tenui, qui ne scaphis quidem quibusdam in locis ferendo est, nihil dicam. *Σοφὰ Φάριμανα*, qui Caroli, & eorum, qui grande hoc opus, primi svaferant, prudentiam, & Aventini, aliorumque ei suffragantium fidem volunt fartam servare tectamque, apud Scriptores Hydrographicos, cum veteres tum recentes quærant, necesse est, variisque, si rationes non suppetant, evincant exemplis, in locis haud paucis, obstructis forte fontibus, & alibi emergentibus, amnes quosdam diminutos, & ad navigationes, quarum usui olim inservierint, ineptos fuisse redditos. Id quod sufficienter si probatum fuerit, situsque locorum nostrorum Hypothesi respondeat, omnino dicendum fatendumque videtur, insignia cum Alemannu n, tum etiam Razam fluxu temporum passos fuisse aquarum decremента: Istis enim, nostri hujus ævi Razæ aquis, destructis etiam omnibus molendinis, quæ iis moventur agitanturque, cum Familia sua Palatina Rex maximus in Radentiam sive Regnesum, quin ex ipso Regneso in Redonessum, nullo pacto, quicquid etiam Aventinus suggerat, aliique, de Prudentia Caroli isthoc grande opus haud temere & inconsiderate moliti causentur, scaphis, nedum navigiis grandioribus, commode deferri potuisset; quod tamen, factum fuisse ex supra dictis dispalescit. Quid verò de fide Leodiensis Geographi, quem supra allegavimus, his ita se habentibus, statuendum sit, aliis dijudicandum relinquo. Ut porro dispiciamus, quo successu memoratus Caroli nostri conatus gavifus fuerit, haud sane opus est, cum ex jam dictis aliquo modo id patere posse videatur. Ut plurimum, ceu statim initio diximus, Isthmorum perfossiones & fluviorum derivationes difficili molimento occceptæ, operosiori continuatæ & tristi irritoque finitæ sunt. Præter exempla hanc rem testantia, & supra à nobis in scenam quasi producta, factum Cnidiorum memorabile est: ne isti in opere suo, quo Isthmum, ceu diximus, Peloponnesi superare moliti sunt, invitis Diis pergerent, scopulis in fodientium oculos resilientibus, teste *Herodoto Lib. 1. Hist.* sufflaminati dicuntur. Neronis tempore sanguineos rivos conspectos, multa que spectra atroces ejulatus edidisse, atque ita territos operarios cum Cnidiis idem tentantes cessasse, cessisque *Dion* testis est. Nicanorqm Seleucum Pontum Euxinum & Mare Caspium committere conatum interemit Ptolomæus Ceravnus. Chamo Tartarorum, cum & ipse Tanais & Volgæ conjunctio- nem tentaret, Turcis in Mare Caspium & Moscoviam aditum aperturus, Russi cladem gravissimam intulere, utque à proposito, rebus infectis, ab- sisteret, coëgere, &c. Ex quorum sane exemplorum segete haud difficulter colligi posse videtur, quid & laudatus omnium hostium suorum, sed non æque naturæ, victor, magnus ille Carolus in grandi suo opere effecerit, præ- stiteritve. Audiamus de conatu irrito terse canentem *Nicol. Reusnerum*, Epigramm. in Civ. Weissenb.

*Persarum*



*Perfarum statuit Babylona Semiramis urbem:  
 Cinxit & Euphratis flumine castra sua.  
 Ponte facit Xerxes vada bina coire superbo,  
 Et magnum remis sollicitavit Athon.  
 At frustra Rheno conjungere Carolus Istrum  
 Cogitat imperio magnus & ense potens.  
 Grande opus, &c.*

Ecquid autem præclarum tantaque hominum multitudine occæptum & continuatum opus sufflaminaverit, quo minus perfectum fuerit, Auctores non conveniunt: Sunt, qui negotii difficultatem, quam tamen à tanto Rege superari tandem potuisse, qui naturam loci penitus inspicunt, existimant, prætendunt, *Annales Francorum* & hoc superaddunt: *propter juges pluvias, & terram, quæ palustris erat, [est tamen & arenosa] nimio humore suapte natura imbutam cæptum opus consistere non potuisse, sed quantum interdum terræ à fossoribus fuerit egestum, tantum noctibus humo iterum in locum suum relabente subsedisse.* Quibus suffragatur *Calvisius Op. Chr. ad A. 793.* *Carolus, inquit, ut ex Rheno in Danubium navigare posset, fossam ducere conatur, quod fieri non potuit, & propter frequentes pluvias, & quod terra esset uliginosa, & tantum noctu in fossas relaberetur, propter humiditatem, quantum die erat egestum.* *Conf. Abb. Stad.* Qui anni tempus obtendunt, rebus sub dio agendis minus faventem autumnum accusant, utpote qui irriti labori finem imposuit. Præter has causas Barbarorum in Germaniam irruptionem Imperatorem Carolum ab opere desistere coëgisse, memoriæ prodidit laudatus *Münsterus, Cosmogr. Lib. 3. cap. 384.* totum negotium sequentibus verbis exponens: *Die Regniß komt von Mittag/ entspringt bey Weissenburg/ und laufft neben der Stadt hinab. Von diesem Wasser sagen die Historien/ daß Keiser Carlen vorzeiten/ do er zu Regenspurg viel wonet/ sich ließ überreden/ daß er unterstund A. C. 793. die Altmül und die Radanz (also nennen sie die Regniß) zusammen graben/ damit man zu Schiff aus der Thonau in den Rhein kommen möcht. Dann der Ursprung dieser zweyer Wasser ist nicht ferr von einander/ und laufft die Altmül für Eystett gehn Kehlheim zu in die Thonau / aber die Regniß leufft auf Schwabach gegen Mittnacht / und under Bamberg salt sie in den Mäyn. Also sieng Keiser Carlen diese Arbeit an/ und verordnet viel tausend Mann darzu / und ließ zwischen den zweyen Wassern ein Graben machen/ der was 2000. Schritt lang/ und 300. Schuch breit: aber es was ein vergebne Arbeit/ dann es regnet dozumal viel/ und ist der Boden am selbigen Ort auch sümffig/ darum mocht das Werck nicht bestehn. Dann so viel man bey Tag Erdrichs hinaus trug/ so viel fiel bey Nacht wider ein. Darzu kam ein Geschrey/ do man in der Arbeit was/ daß die*  
 Ungläu-

Ungläubigen in das Land gefallen weren/ deshalb Kaiser Carlen  
gezwungen ward ihnen bald entgegen zu ziehen / und diese Arbeit  
unterwegen zu lohn. Man sieht noch bey Weissenburg die alten  
Fußtritt dieser unnützen Arbeit. Hæc ille. Quæ autem bella tunc tem-  
poris propulsanda Carolus habuerit, expressisset velim Münsterus. Vid-  
tamen *Calvisius* l. c. ad A. 793. & seqq.

Incolæ pagi Graben persuasi sunt, inopiam rerum ad victum pertinen-  
tium & hominum jumentorumque multitudini sufficientium, laborem in-  
terpolasse. Prodigia & portenta obstaculis ceteris, iisque memoratis, præ-  
mittit laudatus *Aventinus* Lib. iv. Ann. B. ed. Lat. *Invidit, inquiens, fortuna  
labori, qui invito cælo cæptus erat, prodigiis portentisque iram suam natura  
rerum ostendit. Immensi acervi frumentorum & omnis generis granorum re-  
perti in campis, quæ si pecus gustaret, è vestigio peribat; farina in dæ facta, sub ma-  
nibus evanescebat. Noctibus audita sunt voces mugientium & lascivientium  
confusi strepitus circa superiorem fossam. Accedebant continui imbres in loco alio-  
qui palustri; ideo, quicquid terræ interdium egerebatur, noctu humore relabente sub-  
sidebat. Quæ & alia cum secum expendisset supra à nobis laudatus *Camera-  
rius* Cent. I. oper. lib. c. 18. graviter tandem concludit: *Quid multis? ejus-  
modi conatus si non omnes, plerique tamen infausti reperiantur. Statuit enim  
Deus, ut regius Propheta ait, mari & fluminibus suos terminos, quos non trans-  
gredientur, & in iis manendum consistendumque illis est, quamdiu ipsi placuerit;  
& ipso refragante, frustra eos homines viribus suis transferre conantur.* At  
hac de re vilu & memoratu maxime digna, conatu non irritò, tristique, sed  
summe utili, salutari & laudabili, quæ ab instituto suo haud aliena videbun-  
tur, inter alia, quæ ad laudem dulcissimæ Patriæ pertinebunt, Latine & me-  
moriter crastina luce, hora antemeridiana vii. in Auditorio Lycæi majori,  
publice expositurus est Adolescens Ornatissimus GEORGIUS FRIDERI-  
CUS HÖCHSTETTERUS, Weissenburgensis, Viri Prænobilissimi &  
Prudentissimi Domini GEORGII FRIDERICI, Reipubl. nostræ Consul-  
is primarii longe meritissimi Filius natus minimus, JOH. PHILIPPI, Med. D.  
Physici Nordling. Ord. Nepos, PHILIPPI Med. D. & Physici Augustani  
Pronepos, ceterorumque Egregiorum suorum Majorum superioribus secu-  
lis Nobilium Ordini ab Impp. Rom. adscriptorum Gloriæ æmulus indu-  
strius. Qui vero rationem temporis habebit Adolescens indolis liberalis  
speique bonæ JOHANNES GUMBERTUS BAUMANNUS, Weissen-  
burgensis, Jo. Christophori, p. t. Ludimagistri Kazwangensis, prope Schwo-  
bachium, Filius, & ὀμωνύμης, civis Patriæ Nepos, per Octennium & quod ex-  
currit Lycæi nostri Alumnus, de Officio eorum, qui, vicinis bello pressis, Pace  
fruantur, differet, Scholis nostris, Patronis & Amicis valedicturus & Aca-  
demias petiturus. Quem Actum Oratorium ut L. & H. consuetis præsentia  
sua ornent Reip. Proceres, Verbi Divini in Ecclesia patria & vicinis Ministri,  
quosque porro amor patriæ & res literaria juvat, ac quorumcunque tandem  
interest, ut Scholæ nostræ floreat, & pûbes Scholastica ad studia sua profe-  
quenda magis magisque exstimuletur, cum Oratoribus meis νεοφύτῳ etiam  
atque etiam rogo. P. P. Weissenburgi Noricorum Ann. MDCCV.  
VI. Cal. Maji.*